IOANNIS FRIDERICI IOACHIMI
HALLENS.
COMMENTATIO HISTORICO-IVRIDICA
DE
DONIS
BAPTISMALIBVS
SIVE
PECVNIA LVSTRICA
VVLGO
Von
Pathen-Gelde.

HALAE VENEDORVM
TYPIS IOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.
MDCCXXXVI.

Digitized by Google

[illegible] by Google

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

FRIDERICO GVILIELMO HEROLDO

SACR. REG. MAIEST. PORVSS. CONSILIARIO INTIMO, ITEM BELLI, DOMANIALIVM AC VENATIONVM, CONSVLI PRIMARIO CIVITATIS HALLENSIS MERITISSIMO

DOMINO PATRONO AC FAVTORI SVO

AETERNVM SANCTE COLENDO

BIBLIOTECA

HOC PIETATIS ATQVE OBSERVANTIAE

MONVMENTVM

CONSECRAT

AVCTOR

Digitized by Google

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME
DOMINE AC PATRONE PIE COLENDE!

M*Oroſus eſſem debitor, niſi hanc meditationem* TIBI *offerrem atque conſecrarem. Quum enim iam longo tempore honore immerito fruitus ſim, ut mihi acceſſus ad* TE *ſemper fuerit licitus, etiam a* TE *Purpuratis Auguſti noſtri Miniſtris commendatus ſim; eo magis has qualescunque cogitationes* TIBI *ſacras eſſe cupio,* TEQVE *devoti animi mei teſſeram benigniter excipere, confido. Etiam ideo ILLVSTRE TVVM NOMEN his paginis inſcribere lubuit, quia ad id, tanquam Hallenſis civis obſtrictus ſum, ut eo magis eluceat, quanta devotione* TE TVAMQVE *INCLVTAM FAMILIAM veneror. Sane GENS HEROLDINA eſt præclara atque antiquiſſima. Vir. Perill. Dn. Canc. de* LVDEWIG *magnus meus*

meus præceptor, nuper in Diurnis Hallenſibus Num. VIII. *hactenus incognitam veritatem cum erudito orbe communicavit, nimirum, quod denominationes* Mareſcallorum, Schenckiorum &c. *ſint antiquiſſimæ, trahantque ab officiis aulicis originem. GENS HEROLDINA inde etiam nomen ſortita eſt. Nam antiquitatum Hiſtoriarumque probe gnarus, facile intelligit, quod apud Romanos, Germanicæ originis gentes, &, pæne omnes nationes maxima habita ſint* * *fecialium officia. Quod autem VIR ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIME ILLVSTRI TVAE GENTI fecialis officium inſutum atque innexum fuerit, divinor, quia* TVI *maiores in vetuſtiori ævo reperiuntur atque nomina HEROLDORVM habuerunt. Sane non ſine delectamento vidi ILLVSTRE HEROLDINVM ſtemma in ædibus* TVIS *ſuſpenſum. Oculi me illi adfixerunt, obſtupui atque miratus ſum, ILLLVSTREM TVAM GENTEM tam eſſe antiquam, ut vix ac ne vix quidem gens in hac civitate, ILLA ſit vetuſtior. Splendet adhuc hodie in Auguſtiſſimi Potentiſſimique noſtri REGIS aula HEROLDINA PROGENIES in fratre Tuo, ILLVSTRI ac GENEROSISSIMO DOMINO de HEROLD; in hac autem civitate ILLVSTRE TVVM NOMEN. Quanto igitur ſplendidior dignitas ILLVSTRIS eſt TVAE GENTIS, tanto maior mihi*

 devo-

* Fuſius de fecialibus egit V. C. ZSCHACKWITZIVS in Arte Heraldica.

devotio, qua ILLVSTRE HEROLDINVM NOMEN pie ſancteque veneror. Accipe igitur ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIME DOMINE has qualescunque cogitationes, quibus ILLVSTRE TVVM NOMEN, tanquam mei evergetæ, &, qui meis utilitatibus invigilat atque inſurgit; inſcripſi. Servet te D. O. M. TVAMque ILLVSTREM FAMILIAM in florentiſſimo rerum ac fortunæ ſtatu quam diutiſſime. Abs TE *vero ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIME DOMINE rogo obſecroque, ut benevolentiam* TVAM *mihi conſervare ſtudiis meis favere, mihique in clientum* TVORVM *numero locum, ſi meruero, concedere ſemper velis.*

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME

DOMINE AC PATRONE PIE COLENDE!

ILLVSTRIS NOMINIS TVI

Dab. e Muſeo in Acad.
Frideric. d. 13. April.
MDCCXXXVI.

devotiſſimus cultor
IOANNES FRIDERICVS IOACHIM.

AVCTOR LECTORI

S. P. D.

OPuſculum hoc de *Pecunia Luſtrica* quod tibi exhibeo, eſt inter primitias meorum Academicorum laborum referendum. Iam enim ante biennium & quod excurrit id confeci, nunc autem acceſſionem adtuli. Occaſio de donis baptismalibus mihi agendi tum temporis, hæc erat. *Perill.* atque *Excellent.* DN. IOH. PETR. de LVDEWIG eruditorum facile princeps, *anno* 1733. in *Diurnis Hollenſibus n.* 31. & 34. 35. de Baptiſmo Iudaico ſcribebat. Eruditiſſimas eius obſervationes prælegebam iterum iterumque. Tum in natales donorum baptiſmalium inquirebam. *Perilluſt.* VIR in eo glaciem fregerat mihi, quod origines pecu-

Digitized by Google

pecuniæ luſtricæ ex antiquitatibus Iudaicis petendas eſſe doceret. Sed anguſtia chartæ eiusque inſtitutum haut patiebantur fuſius ea de re agere, atque ſic inductus ſum, ut de his donis prolixius diſputarem. Id vero poſcit officium diſcipuli, ut præceptoris veſtigiis inſiſtat, eiusque doctrinas magis ut explicet, probatas defenſasque det. Me non moverunt tot ICTORVM opiniones, ut ab inſtituto meo recederem. Illis enim cœco impetu in rebus de quibus aliam opinionem foveo, adhærere, eorumque dicta ambabus, ut dicunt manibus, amplecti, minime genio meo convenit. Dicam cum magno *ICto* CARPZOVIO: *Iuris Conſulti auctoritas oculos mihi ita non perſtringit, ut mancipii inſtar, ipſorum Dicta & opiniones, contra rationem veri complecti cogar, quantumvis etiam fuerint communes, a quibus alias non facile eſt recedendum. Non enim maior auctoritas tribuenda eſt opinioni communi, quam rationi & veritati, propter quam a communi opinione tutiſſime poſſumus recedere.* Veniam itaque peto ab illis, quorum ſententiis inſiſtere ratio & veritas haut patitur. Ceterum hoc opuſculum nondum prelo ſubiicerem, niſi meus *alter ego* A. R. I. BVNEMANN cuius ſuſpicio ingenium divinum, mihi auctor & ſuaſor fuiſſet. Urgebat praeterea Typographus, qui an ex hoc levidenſi opuſculo ſibi lucrum quærere velit, an minus, mihi perinde. Vale! Expecta proxime alia.

COM-

COMMENTATIO HISTORICO-IVRIDICA

DE

DONIS BAPTISMALIBVS

SIVE

PECVNIA LVSTRICA.

§. I.

Inter alia controverſiæ obnoxia, non infimum locum tenent problemata de *pecunia luſtrica.* Circa huius originem animi doctorum in diverſas ſententias diſtrahuntur. Quare nobis nemo vitio vertet, ſi veram atque genuinam huius *pecuniæ luſtricæ* originem atque indolem inveſtigare conſtituimus. Quum enim hodie in orbe Chriſtiano *munuſculum hoc* adeo receptum ſit, ut fere nemo in patrinorum numero reperiatur, qui non *decantatam pecuniam luſtricam* baptizatis offerret: operæ pretium videbitur, plurimas opiniones eruditorum, hac de re occurrentes, prius recenſere, deinde examinare, ac denique ſententiam noſtram ponere.

§. II.

Munuſculum hoc ſecundum nonnullorum ſententiam originem trahere videtur *a)* a *Romanis.* Nam *b)* FESTVS *c) aliique* referunt, quod die octavo a natali *puellæ*, nono *pueri* luſtrati fuerint, acceperintque nomina *d)*. Sicuti vero *Romani* pæne in omnibus negotiis multas ſolemnitates adhibebant, his etiam diebus non omittebant. Infans enim variis expiabatur ritibus, & adverſus faſcinum muniebatur *e)*. Deinde e domo per templa Deorum magna pompa circumferebatur *f)*. Peractis his, non modo infanti, ſed etiam eius matri *dona* & *munera* offerebantur *g)*, ac denique huic diei læto, lautum epulum, ad quod vocabantur propinqui *h)*, finem conſtituebat.

a) Quorſum etiam inclinare videtur *Ill.* DN. BOEHMER in *Iure Eccleſ. Proteſt. Lib. III. Tit. XLII.* & DN. FLEISCHER *in Iure Eccleſ. Lib. II. cap. III. §. 36. p. 481.*

b) v. LVSTRICI. *Luſtrici dies infantium adpellantur puellarum octavus, puerorum nonus, quia bis luſtrantur, atque eis nomina imponuntur.*

c) Sic MACROBIVS *Lib. I. Saturnal. cap. XVI.* memoriæ prodit: *Eſt autem*, inquit, *dies luſtricus, quo infantes luſtrantur & nomen accipiunt. Sed is maribus nonus, octavus eſt feminis.* Et paulo antea meminit, Romæ Deam, nomine Nundinam fuiſſe, ita dictam, a nono naſcentium die. *v.* LOMEIERVS *de Luſtrationibus cap. XXVII.* KIPPINGIVS *in Antiquitat. Rom. Lib. I. Cap. I. §. 10. p. 16.* PITISCVS *in Lexico Antiquitat. Rom. v.* NVNDINA *Tom. II. p. 290.* Cauſſam huius moris inveſtigat PLVTARCHVS *in Quæſt. Rom. quæſt. 102.* qui ait: *An cauſſa eſt naturalis, quod prius puellis? femina enim citius augetur, ad vigorem pervenit, atque abſolvitur, quam mas? Dies porro poſt ſeptimam*

ſumunt.

Digitized by Google

ſumunt. Septima enim periculoſa eſt infantibus, cum alias, tum quod ea die umbilicus decidit pleriſque, quod antequam fit, plantæ quam animalis ſimilior eſt infans. Aut maribus & fœminis hunc dierum numerum cenſuerunt congruere, Pythagoricos ſequuti? hi enim marem imparem numerum vocant, parem fœminam. Impar enim fœcundus eſt, & in compoſitione præſtat pari: diviſisque in unitates ambobus, par inſtar feminæ vacuum in medio relinquit ſpatium, impar ſemper medium habet plenum. Aut quia omnium numerorum novem primus eſt quadratus, natus ex ternario, qui eſt impar & perfectus: octo autem, primus eſt cubus, natus e binario pari? oportet autem marem quadratum eſſe, & agilem, & perfectum: feminam cubi inſtar ſtabilem, domi adfixam, & non facile mobilem. Hoc addendum: Sicut novem quadratus eſt ternarii, octo cubus binarii: ita mares tribus; fœminas duobus uti nominibus. Hæc ille. Apud *Athenienſes* infantes decimo die luſtrabantur. PETR. FABER *Semeſtr. Lib. 1. cap. 6.* RVBENIVS *Elect. I. 5.*

d) Hinc TERTVLLIANVS de *Idololatria Cap. VI.* hos dies *nominalia* adpellitat. Recitat SPENCER de *LL. Hebræor. Ritual. p. 35.* SERVII ad VIRGILIVM verba, qui de luſtricis diebus ait: *Solebant antiqui diem octavum pueri natalem conſtituere, & eo die ſingulis annis lætum convivium parare. Sicut Iudæi octava die circumcidunt.*

e) Vid. PLVTARCH. *Lib. V. Sympoſiac. Quæſt. p. 680. Scimus, homines eſſe, qui præſertim viſu nocent.* Unde etiam Romani Deam, nomine *Cuninam* colebant, quæ infantes tuebatur in cunis, adverſus vetularum faſcinum. GRVTERVS in *Inſcr. p. 96.*

CVNINAE. FELICI.
SACR.
CLAVDIA. HELPIS.
D. D.

vid. GYRALDI *Syntagm. Deor. p. 48.* PITISCI *Lexicon Antiquitat. Rom.* v. CVNINA *Tom. I. p. 608.* STVCK de *Sacrif. p. 45.* MEVRS. de *Puerp. Cap. 5.* THOMAS. de *Donar. Cap. 10.* LACTANT. de *Falſ. Relig. I. 20.* conf. FROMMANNI liber de *Faſcinatione*, quem mihi muſisque meis amiciſſimus BVNEMANNVS, qua eſt perſpicuitate, propter rationes adhuc arcanas peſtilentiſſimum vocare ſolet. Taceo hic Germanorum proverbium: Das Kind iſt beſchrien, es kan nicht gedeyen.

f) Huius ritus veſtigium extat apud SVETONIVM in *Caligul. Cap. XXV.* ibi: *Infantem Iuliam Druſillam adpellatam, per omnium Dearum templa circumferens, Minervæ gremio impoſuit, alendamque & inſtituendam commendavit.* PERS. *Sat. II. v. 31.* ibique CASAVBONVS. Ex hoc adparet, pueros per Deorum, puellas autem per Dearum templa circumlatus fuiſſe.

g) Meminit huius ritus IVLIVS CAPITOLINVS in *Clodio Albino cap. VI. Infantulo tuo Peſcennio primo munera digna ſuo loco tuoque mittamus.* TERENTIVS in *Phorm. l. 1. v. 13.*

- - - Porro autem Geta
Ferietur alio munere ubi ea pepererit,
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:
Ubi initiabunt, omne hoc mater auferet:
Puer cauſſa erit mittundi.

vid. *L. 194.* de *Verb. Signif.* GERARD van MASTRICHT de *Suſceptoribus p. m. 47.*

h) Idem IVLIVS CAPITOLINVS l. c. *cap. IV.* ita refert: *Quum rarum eſſet aquilas in his locis videri, in quibus natus eſt Albinus; Septima eius diei hora convivio, quod celebritati pueri deputabatur, quum ei fierent nomina ſeptem aquilæ parvulæ de nido allatæ ſunt, & quaſi ad iocum*

iocum circa cunas pueri conſtituta: nec hoc omen pater abnuit, qui iuſſit aquilas ali, & diligenter curari.

§. III.

Aliam ſententiam in ſcenam producunt BALDVINVS & CASALIVS, pecuniam luſtricam ad tempora *Hygini Epiſcopi Romani* referentes; ea de cauſſa, quoniam in ſeveriſſimis Chriſtianorum perſequutionibus patres luſtrales, paupertati *i)*, ſacro fonte tinctorum, ſubvenerunt, quod poſtea non æque ſemper fieri potuit, quum eadem ſede morari eo tempore vix ipſis licuerit, & quotidie metuendum eſſet martyrium, quam opinionem etiam ambabus manibus amplexi ſunt RADOVIVS *k)* & *b. m.* STRYCKIVS *l)*. Sed coniectura hæc nititur præſumtis opinionibus & contraria probatione facile eliditur. Si enim munuſculum hoc baptizatis ea de cauſſa eſt oblatum, ut ex aliqua parte eorum inopiæ auxilium feratur; quid dicemus, ſi divites fuere, tali ſubſidio non indigentes. Nec veroſimile eſt, hæc munera ob metum martyrii fuiſſe data; e contrario potius ferendum fuit, ne quid ex largitione, ob iniqua tempora *m)*, in illos redundaret.

i) Chriſtiani enim nullis opibus gaudebant. Quare etiam LVCIANVS in *Philopatrid.* fortunas eorum illudit, ac Chriſtianis *pallium putre*, *caput detonſum*, & *nudos pedes* tribuit. Unde iudæis æque ac gentilibus ludibrio erant. vid. ORIGEN. adv. CELS. *Lib. II.* & MINVCIVS FELIX in *Octav.* conf. *Illuſtr.* HEINECCIVS de *Hab. & Inſign. Sacerd. Apoſtolor. Cap. I. §. VII. p. 15.*

k) in *Diſſert.* de *Pecunia luſtrica Cap. II. §. I.*

l) In *Notis ad* BRVNNEMANNI *Ius Eccleſ. p. 248.* ad verb. *Munera baptiſmalia.*

m) Illuſtr. THOMASIVS in *Diſſ.* de *Hypotheca tacita propter pecuniam luſtricam Cap. II. ſ. II. lit. g. p.22.* Qui tempora Chriſtianorum primæva animo revolvit, reperiet, ſtatum eorum miſerrimum fuiſſe. Habebantur illorum conventicula pro collegiis illicitis ac reprobatis, a republica derelictis. Præſertim *nomen Chriſtiani* gentilibus erat odioſum, de quo egregius extat locus in TERTVLL. *Apolog. Cap. II.* Præterea chriſtiana religio a gentilibus novitatis adcuſabatur. Sic enim iam Apoſtolorum tempore Paullus videbatur Athenienſibus *ξενίζοντά τινα εἰσφέρειν εἰς τὰς ἀκοὰς αὐτῶν*, *Peregrina quædam adferre auditui ſuo*, *ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς εἶναι*, *Peregrinorum Dæmoniorum nuncius eſſe.* *Peregrinorum* h. e. *Novorum*, ut vetus interpres reddidit; Eumque ideo examini ſubiecerunt, & poſſumusne ſcire, dixerunt, *τίς ἡ καινὴ ἄυτη*, *quæ iſta Nova a te allata doctrina ſit?* ACTOR. *Cap. XVII. v. 18. 19. 20.* conf. ARNOBIVS *adverſus Gentes Lib. II.* & MINVCIVS FELIX in *Octavio.* Sed etiam Chriſtiana Religio ſtatui Reipublicæ Romanorum haut erat conſentanea, ut gentiles dicebant. Nam tædium habebant omnium peregrinarum religionum, ideoque crimen erat, peregrinam religionem introducere. Legibus id cautum erat, quarum veſtigia paſſim occurrunt. vid. PANDVLPHI PRATEI *Iuriſpr. Vet. p. 168. 187.* CIC. *Lib. II. de LL.* LIV. *Lib. XXV. cap. I.* SVETON. *Tiber. cap. 36. & 39.* DIO CASS. *Lib. LII.* PAVLL. *Recept. Sentent. Lib. V. Tit. XXI. ſ. 2.* TIT. *XXII. ſ. 3. 4.* Denique a *Diocletiano* & *Maximiniano* cruentum illud edictum in *Manichæos* quidem, ſed revera in *Chriſtianos*, quos cum hoc pariter ac Iudæorum nomine paſſim confuſos videre eſt, emiſſum, de univerſis ſtirpitus eradicandis, cuius ratio inter alias redditur, *quod vetus religio a nova reprehendi*

haut

haut debeat, maximique criminis retractare, quæ ſemel ab antiquis tractata ac definita ſunt, quæ diſpoſitio extat in COD. GREGOR. & in COLLAT. LL. *Moſaicar.* & *Romanar. Tit. XV.* add. V. A. BYNKERSHOEK in *Opuſc.* de *Religione Peregrina.* Fuſius autem hanc materiam tractavit *Cel.* BVNEMANNVS, quod ſcriptum, ut tandem cum orbe erudito communicet, obteſtor per amicitiam, & ipſi occupatiſſimo ad id, otia optamus.

§. IV.

Agmen claudit *Illuſtr.* THOMASIVS, originem horum munerum tranquillis eccleſiæ Chriſtianæ temporibus adſcribens, quum ceremoniæ multos ſumtus requiſiviſſent, quia conviviis celebrari cœpit ſolemnitas baptismalis, & neophytis hæc munuſcula a patribus luſtralibus ideo data fuiſſe adſerit, tum ad ſublevandos parentes pauperes, tum ad remunerandam hoſpitalitatem ditiorum. At coniecturam hanc antiquitati haut eſſe conſentaneam, iam docuit *Illuſtr.* DN. BOEHMERVS *n)* & nos ea de re ex inſtituto differemus.

n) In *Iure Eccleſ. Proteſt. Lib. III. Tit. XLII. ſ. 44.* circa fin.

§. V.

Ut rem in pauca conferam, potius mallem cum *Perilluſtr.* DN. de LVDEWIG, primi huius moris natales ex ritu iudæorum baptismali repetere. Neminem fugit, baptismum iam in republica Iſraelitica præter circumciſionem oblationemque receptum, & initiationis fuiſſe ſacramentum, adeo, ut nec circumciſio ſola, niſi accederet baptismus, neque hic, niſi illa accederet, proſelytum faceret. At hic probe notandum, baptismum iudæorum nullum fuiſſe actum

ſpi-

ſpiritualem, ſed *o)* plane forenſem, cui triumviri ſolum præerant; idque adeo ſtricte obſervabatur, ut, niſi ad minimum tres, hunc actum comitarentur, irritus, nec pro initiamento haberetur.

o) conf. *Illuſtr.* DN. BOEHMERI *Diſſert.* ad *Plin.* & *Tertull. Diſſ. XI. ſ. 2. p. 502.* ubi ſequentia MAIMONIDIS verba recitat: *Baptizari debet coram Triumviris, & quum ſic res forenſis ſit, non ſolent baptizare quenquam in Sabbatho nec die feſto, neque nocte.* Ex hoc loco videri poteſt, quod ius dandi baptismum non pertinuerit ad ſacerdotes, ſed actus forenſis fuerit. Porro *Illuſt.* VIR *c. l. ſ. 5. p. 507.* acute coniicit; quod, quia ius dandi baptiſmum fuerit munus virile non muliebre; hunc morem etiam in primitiva eccleſia eſſe ſervatum. Verba eius ſunt: *Porro ius dandi baptiſmum apud Iudæos quoque virile munus erat, & inde idem mos in eccleſia ſervatus, & per plures annos retentus, donec quodammodo mitigatus fuerit.* Id mihi addere licet, quod patrini a Triumviris Iudæorum ducant originem, ceu id egregie, uti ſemper ſolet docuit *Perill. Dn. Canc.* de LVDEWIG, vir laude noſtra multo maior in *Diurnis Hallenſibus* de *anno 1733. n. 34.*

§. VI.

Hoc quum ita ſit ad ipſum baptiſmum progredimur. Illi enim, qui hoc novum fœdus intrare ſerio cogitabat, in memoriam revocabatur, dignitas gentis, cuius in ſocietatem *p)* cooptandus eſſet, & iuſtorum merces; etiam pœna impiorum, futurum ſæculum, præceptorum Moſaicorum onera *q)*, diligenter explicabatur: ob ſimplicem Iudaiſmi amorem, an forſan lucri cauſſa ſe baptiſmo initiari deſideraret *r)*.

p) Iu-

p) Iudæi iuſſu divino id fecerint, an talem morem ex obſervantia retinuerint? parum refert. Certum tamen eſt, prius viros præclaros atque excellentiores, non modo ex ipſis Iudæorum commentariis, ſed etiam ex Moyſe & Prophetis docuiſſe, inter quos principem locum obtinent *Buxtorfius*, *Seldenus*, *Schickardus*, *Lightfoot*, *Buddæus* aliique viri eruditi, quorum nunc cineres devoto animo colimus. Præſertim ea de re egit DANZIVS in admodum rara *Diſſert.* de *Antiquitate Baptismi*, quam diu fruſtra quæſitam tandem muſula mea poſſidet. Quidquid tamen horum ſit, ſanctus baptismus eſt ſacramentum novi fœderis, quod ex cœlo Iohanni mandatum, & a Chriſto, vi Spiritus Sancti ſanctificatum atque confirmatum eſt.

q) Sane ſi ritus baptismi Iudæorum cum ſacramento novi fœderis conferamus, videmus pæne optimam harmoniam. Adducam locum ORIGENIS, qui adprime huc facit. *Chriſtiani*, inquit ORIGENES *adv.* CELSVM *Lib. II. in fin. quantum poſſunt, præexaminant animos audire ſe cupientium, ac primo privatim informatos, priusquam in cœtum recipiantur; ubi videntur eo profeciſſe, ut honeſtæ vitæ ſint cupidi, tum demum introducunt diſtinctis ordinibus: Altero recens amiſſorum, nec dum aſſecutorum luſtrationis ſymbolum, altero eorum qui quantum in ſe eſt, demonſtrant, ſibi propoſitum eſſe, nihil aliud niſi cum Chriſtianis velle & ſentire. Inter quos nullibi præpoſiti ſunt, qui in vitam & mores eorum, qui admittuntur, inquirant, ut non conceſſa facientes candidatos religionis arceant a ſuis conventibus, ceteros horum diſſimiles excipiant ex animo, & quotidianis exceſſibus meliores faciant.* Qui locus, ſi rite examinatur, docet, quod ante baptismum Chriſtianorum

debuerit, uti moris fuit apud Iudæos.

r) Præterea gentiliſmo cultuique idolorum renunciare debebat, ideoque integra confeſſio Iudaiſmi, & uniuscuiusque legis Moſaicæ capitis fiebat. Si morem hunc penitius inſpicimus, non abſimilis videtur renunciationi diaboli, adhuc in chriſtiana eccleſia uſitatæ. Conſueti enim erant Chriſtiani, ut ii, qui in ſanctiſſimam Chriſtianorum ſocietatem recipi deſiderarent, pacto ſeſe obſtringerent, omnes leges huius Sancti fœderis ſervare. Egregie in hanc rem IVSTINVS MARTYR in *Apolog. II. p. 93.* ita diſſerit: *Quicunque perſuaſi fuerint, & crediderint, vera eſſe, quæ a nobis traduntur & dicuntur, ac viuere ſe ita poſſe receperint, orare ieiunantes & petere a Deo priorum peccatorem remiſſionem docentur, nobis cum illis vna & orantibus & ieiunantibus.* vid. *Illuſt.* DN. BOEHMERVS feliciſſimus Iuris Eccleſiaſtici interpres in *Diſſ.* ad *Plin. & Tertull. Diſſ. III. ſ. 20.* Præſertim hæc confeſſio fiebat ante baptiſmum. Hinc TERTVLLIANVS de *Corona cap. III. Aquam*, inquit, *adituri, ſed & aliquando prius in eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo & pompæ & angelis eius.* Et paſſim TERTVLLIANVS huius ſolemnis conteſtationis mentionem iniicit, quæ loca collegit *Illuſt.* BOEHMERVS *cit. l. ſ. 19.* Probe etiam notandum, quod pactum hoc adeo ab infantibus exigeretur, quod Chryſoſtomus in Pſ. XVI. ita deſcribit: *Adducit aliquis infantem ubera ſugentem, ut baptizetur; & ſtatim ab infirma ætate PACTVM exigit, & minorennium fideiuſſores accipit, quos interrogat.* Et quid? hodienum hic mos in eccleſiis noſtris receptus eſt, ubi loco infantum ſuſceptores diabolo, & pompis & angelis eius renunciant & Chriſtianam fidem profitentur.

§. VII.

§. VII.

Deinde in conſpectu trium virorum corpus proſelyti integrum abluebatur, idque in confluente ſeu conceptaculo aquarum naturali, veluti fluvio *s)*, ſtagno, fonte. Si vero femina baptizabatur, Triumviri quidem adſtabant, & baptiſmum rite obſervabant. Quum vero ipſa ex aquis adſcenderet, triumviri pudoris cauſſa avertebant oculos abibantque. Quem ritum erudite explicat SELDENUS *t)*.

s) Id etiam in primitiva ecclesia moris erat, ubi catechumeni in flumine immergebantur. Poſtea vero, ob perſecutionum tempeſtates, baptiſmus in balneis peragebatur. Nulla ibi *baptiſteria*, quæ demum ſæculo IV. invaluere, de quibus videndus WEDDERCAMP de *Baptiſteriis veterum*. CANGIUS in *Gloſſario v. Baptiſterium Tom. I. p. m. 468*. HILDEBRANDI *Rituale Baptiſmi p. 34*.

t) De Synedriis Lib. I. Cap. III. & de *Iure Nat. & Gent. ſecund. Diſciplin. Hebræor. Lib. II. Cap. II.*

§. VIII.

His rite peractis, neophyta, veſtes ſuas exuebat, novasque puras *u)* ac albas induebat, in novæ fidei ſignum. Idque ideo factum eſt, quia albedo ſignum innocentiæ erat, partim, quia in lavacro gentium Orientalium uſus novarum veſtium & albi lintei receptus erat. Accedit, quod proſelytis novum nomen imponeretur. Qui enim eorum gentiliſmo renunciabat, in Iudaiſmum vero tranſibat, nomen ei adhuc pagano impoſitum non *v)* retinere, cogebatur, ſed potius certo tribu ac genti ſe adſcribere debebat.

u) Hic ritus etiam in ecclesia Chriſtiana obtinuit, adeo ut hodienum in baptismo ſacro flumine purgatis veſtis al-

ba, quam *ſplendidam* ἔνδυμα φωτεινὸν dicebant, vulgo das Weſter-Hemde induatur. Hoc veſtimento etiam uſus eſt *Conſtantinus M.* ceu teſtatur EVSEBIVS in *eius Vita Lib. IV. Poſtquam*, inquit, *omnia rite expleta ſunt, candidis ac regiis veſtibus lucis inſtar radiantibus eſt amictus, & candidiſſimo in lecto recubuit, nec purpuram amplius contingere voluit.* vid. MASTRICHTII *Suſceptor p. m. 29.* Hunc ritum ex baptiſmo Iudæorum originem traxiſſe, docuit *Vir magni atque excellentis ingenii Perilluſt.* DN. de LVDEWIG in *Diurnis Hallenſibus an. 1733.* In primitiva autem eccleſia hoc erat plane ſingulare, quod neophyti Sabbatho magno initiati per totam ſeptimanam, usque ad diem dominicam albis veſtibus incederent, qua candidam veſtem in templo iterum exuebant. Hinc hebdomas hæc vocabatur die weiſſe Woche, quæ adpellatio hodienum adhuc obtinet. Etiam hæc ſeptimana in albis *Feſtum Neophytorum* voçat AVGVSTINVS *Epiſt. 119.* ad *Ianuar. cap. 17.* Egregie igitur LACTANTIVS de *Reſurr. Dom.* baptizatos *niveum gregem* adpellitat.

Candidus egreditur nitidis Exercitus undis.

Et paulo poſt:

Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niveo gaudia paſtor habet.

conf. WEGNERI *Diſſ. de Veſte alba*, von Weſter-Hemde.

v) Hodienum in eccleſia noſtra Chriſtiana hic mos obtinet, ut infantibus recens natis, imo Iudæis Turcisque adultis ſi Chriſti caſtra ſequantur, nomina nova imponantur.

§. IX.

Ipſe baptizatus quaſimodogenito ſimilis erat, quia eius ſenſibus nova doctrina, lumen rationis auxit. Hinc apud Iudæos tritum erat proverbium: Proſelytum, qui ex gentiliſmo tranſivit ad judaiſ-

mum

mum, infanti recenter nato ſimilem eſſe *w)*. Tandem baptizato a Triumviris munera offerebantur, in ſignum amoris & lætitiæ erga baptizatum. Denique hic probe obſervandum, quod teſtes, qui baptiſmo præerant, plerumque lavacro egreſſum in gentem & tribum reciperent, qui ritus ſane confraternitati atque adoptioni haut abſimilis *x)*.

w) Baptiſmus apud Iudæos ſic omnem cognationem atque adfinitatem, immo inceſtum tollebat. Gravis teſtis eſt MOYS. MAIMON. in *Hilc. Iſeb. Biach. cap. XIV. n. 12. Sententia*, ait, *legis eſt, quod proſelyto ſit permiſſum, matrem ſuam aut ſororem ex matre, uxorem ducere, ſi iudeæ prius factæ fuerint. Sed ſapientes, ne id fieret, prohibuerunt.*

x) conf. §. VIII.

§. X.

Quum vero poſtea ii, qui ex Iudæis Chriſtianiſmum profitebantur, (qui vulgo fideles ex Iudæis adpellabantur) morum ac traditionum antiquarum eſſent *y)* tenaciſſimi cuſtodes; non aliter evenire potuit, quin etiam pro datione munerum baptiſmalium valde fuerint ſolliciti. Ideoque pecunia luſtrica ſenſim ſæcula Chriſtianorum invadit. Hinc opinio illorum, originem patrinorum ad ſæculum reparatæ ſalutis ſecundum referentium, facile reiicitur, quum res ipſa doceat; numerum trium ſuſceptorum ex moribus Iudaicis eſſe repetendum.

y) Exempla extant quam plurima. Ipſe enim Salvator noſter Ieſus Chriſtus Iudæorum mores imitatus eſt. Conceſſit Iudæis externum cultum, ipſe eorum cerimonias obſervavit, celebravit Sabbathum, comedit agnum Paſchalem, ſanavit lepram, mandans leproſis, ut ſe oſten-

dant ſacerdotibus. Deprehendimus quoque, Apoſtolos ritus non immutaſſe; ſiquidem reperimus, Chriſti diſcipulos ſe ipſos iudæos nominare. Inſuper Chriſtiani ſe fideles ex Iudæis adpellabant, & quidem poſt glorioſam Chriſti adſcenſionem. Eam ob rem TERTVLLIANVS Chriſti confeſſores *Iudæorum propinquos* adpellitat. Accedit exemplum *Petri actor. X. 13.* quo docemur, Petrum Iudæorum legibus ſeſe adſtrinxiſſe. Quin immo fideles circumciſi in Petrum animadvertebant, quod gentilium ædes accederet, quia ſe cum gentilibus congregare, iudæis nefas erat. *Act. X. 23.* Et *Cap. XXV. v. 3.* reperimus *Timotheum* a *Paulo* iudæorum cauſſa eſſe circumciſum. Plura teſtimonia hic adponere, non eſt neceſſum, quia nobis iam otium fecit *Illuſt.* DN. BOEHMERVS in *Diſſ. ad Plin.* & *Tertull. Diſſ. II. ſ. 8. p. 44.* qui plura loca, huc pertinentia ſedulo congeſſit, ac ſolide, uti ſemper ſolet, explicavit.

§. XI.

Et ita res ſe habuit usque ad ſæcula Eccleſiæ Chriſtianæ tranquilliora. Quum enim ſæculo poſt Chriſtum natum quarto, Conſtantinus M. *z)* Chriſto nomen daret, gentique Chriſtianæ non amplius metuenda eſſet ulla perſequutio; res eo devenit, ut Chriſtiana eccleſia gentilium ſuperſtitionibus contaminaretur *a)*. Nam Imperatorum paganorum ætate Chriſtiani probe ſciebant, iam tempus adveniſſe, quo ubique locorum Deum adorare poſſent *b)*; fiebat, ut moderno tempore ſacras ædes exſtruerent, easque ſanctas haberent *c)*, idque ita in erigendis cœmeteriis factum fuiſſe unusquisque facile intelligit *d)*. Simile quid reperimus in regimine eccleſiaſtico. Quum enim antea Chriſtiani confœderatam diſcipli-

ſciplinam haberent; his temporibus clerus ſibi propriam, tam in clericos, quam in laicos vindicabat iurisdictionem *e)*. Et hi nævi innumeri ſunt, quos hic adiungere ſupervacuum eſſe arbitramur, nec inſtitutum poſcit. Quare illos ſilentio præterimus, ſiquidem ante me alii viri eruditi, THOMASIVS, BOEHMERVS, PFAFFIVS &c. id ex inſtituto docuerunt.

z) Hic libertatem eccleſiæ reſtituit edicto, quod habet EVSEBIVS in *Hiſt. Eccleſ. Lib. X. cap. 5.* quam ob rem etiam Chriſtiani magno gaudio perfuſi, ID. *cap. 8.* conf. *Ill.* BOEHMERI *Diſſ.* de *Poteſtate Civili in templo Cap. I. Sect. III. p. 45.*

a) Obſervavit eximius ICtus EDMVNDVS MERILLIVS *Lib. III. Obſervat. Cap. 3.* quod ex ritu manumiſſionum quædam ſolennia baptiſmi in Chriſtiana eccleſia invaluerint. Ipſe etiam BARONIVS in *Annal. Eccleſiaſt.* fatetur, multa in eccleſiam ex gentiliſmo eſſe translata.

b) IOHANN. *Cap. IV. v. 21. ſeqq.*

c) Templa gentiles habuiſſe, inter omnes conſtat. Et quem fugit, Deum Iſraelitis templum Hieroſolymitanum extruere permiſiſſe. Hinc SPENCER de *LL. Hebræorum Ritualibus Lib. III. Diſſ. VI. Cap. I.* ſingularem tuetur ſententiam, nimirum: Templum Iudæorum a templis gentilium originem ducere, cui tamen non adſtipulor. Mos extruendi templa inter Chriſtianos invaluit tempore *Conſtantini M.* qui ſuaſu clericorum, magnifica & regia palatia extruebat, magnaque ſolemnitate ac pompa inaugurabat. Vocabant ideo Baſilicas, quod τῷ βασιλεῖ τῶν βασιλευόντων *Regi Regum colendo* fuerint deſtinatæ. De extructione *Templi Tyrii*, confer ſis EVSEB. *Lib. X. Cap. 4.* SOZOMEN. *Hiſtor. Eccleſ. Lib. I. cap. 8.* Occaſio, ni fallor, hæc fuit. Gentiles nempe Deos ſuos in ſplen-

ſplendidiſſimis colebant templis. Id videns *Conſtant. M.* & quod Chriſtiani illis deſtituerentur; æquo animo ferre haut potuit. Quamobrem fana gentilium dirui iuſſit, non obſtante exceptione longæ conſuetudinis a gentilibus oppoſitæ. vid. *L. 2. Cod. Quæ ſit longa conſuetudo. Conſtantinus M.* itaque in ædificandis templis, ſubditis ſuo exemplo præivit, & ſtimulos ſubdidit, quem etiam poſtea ſequuti ſunt. Accedit adhortatio clericorum, qui homines perſuaſos inducebant ſermonibus humaniſſimis, eccleſiarum ædificationem eſſe ſingularis cultus divini opus. Quamobrem hominum cupiditas, templa extruendi, magis magisque incendebatur; qui abuſus per leges coerceri debuerunt, prout erudite, uti ſemper ſolet hoc docuit *Vir Summus* IVST. HENNING. BOEHMERVS in *Iure Eccleſiaſtico Proteſtant. Lib. III. Tit. XLVIII. §. 8.* cuius egregii operis noviorem editionem, iam ſub prelo ſudantem, avide expectat eruditus orbis. Et hic mos tolerandus, modo honor Dei promotus fuiſſet; potius in honorem memoriamque martyrum ædes ſacras erigebant, quæ proinde martyria dicebantur, de quibus agunt SOZOMENVS *Lib. II. cap. 26.* AVGVSTINVS de *Civitate Dei Lib. XXII. cap. 18.* conf. IACOBVS BASNAGE in *Annal. Eccleſ. ad an. 356. n. 12.* qui auctor docet, quod inde translatio reliquiarum, eo tempore, magna pompa fieri cœperit. Unusquisque igitur intelligit abuſum, quem iam eo ævo impugnare conatus eſt LACTANTIVS in *Inſtit. Divin. Lib. I. cap. 20. n. 23. Quid opus eſt*, inquit, *ſupervacuis extructionibus loca occupare, quæ poſſent humanis uſibus cedere. Firmius ac incorruptius templum eſt pectus humanum. Hoc potius ornetur: hoc veris numinibus impleatur.* Sed bone Deus! Clerus omne ſtudium & operam in eo poſuit, ut templa ædificarentur, inde ſibi ſoli vindicaverunt cu-

ram

Digitized by Google

ram atque inſpectionem, quia adſerebant, ſancta hæc eſſe loca, ideoque non humani, ſed divini iuris. Hoc principium vero iam gentiles habuiſſe, unusquisque antiquitatum indagator, facile animadvertit. Et eheu! romanis ſacris addicti, hodienum hanc ſententiam ſtrenue defendunt. conf. *Illuſtr.* DN. BOEHMERVS in *cit. Diſſ. de Pot. Civ. in Templ.* & in *Diſſ. ad Plin. & Tertull. Diſſert. II.* LINCKIVS in *Diſſ. de Iure Templorum.* SLEVOGT von Recht der Altäre &c. BINGHAM in *Origin. Eccleſ.* KEMMERICH in *Diſſ. de Diviſ. Rer. div. & hum. iur.*

d) In primis Chriſtianiſmi Sæculis, Chriſtiani corpora mortuorum in *catacumbis* vel *cryptis* ſepelire ſolebant, quæ ita comparatæ erant, ut huic inſtituto optime inſervirent. conf. HIERON. in *Ezech. Cap. IV.* Præſertim uſus harum catacumbarum inſerviebat humandis martyrum corporibus, ut ibi Chriſtiani memorias eorum celebrare & convenire poſſent. Egregium hac de re extat exemplum apud EVSEB. in *Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. cap. 15.* de *Catacumbis* & *cryptis* conf. ARINGHII & BOSII *Romam ſubterraneam*, CIAMPINVM in *Operibus Muſivis Tom. I. cap. 18.* CASTELLIONAEVM *in Antiqu. Mediolanenſ. P. I. faſc. 3. p. 64.* BARONIVM ad *Martyrologium 3. Ian.* MABILLONIVM in *Muſeo Italico Tom. I. P. I. p. 90. 91.* PETR. ZORN. in *Diſſ. de Catacombis ſeu Cryptis ſepulcbralibus SS. Martyrum Lipſ. 1703.* FABRICIVM in *Roma cap. 22.* *Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans 1688. May p. 38.* DV FRESNE in *Gloſſar. Tom. I. b. v. p. 974.* ERN. SAL. CYPRIANVM *de Eccleſia Subterranea ſ. 13. & ſqq.* FEHMELIVM in *Diſſert. duob. de Catacumbis Romanis Lipſ. 1710. 1713.* Hic vero amor, pace eccleſiæ reſtituta, anſam dedit, ut corpora martyrum aliorumque piorum hominum intra mœnia

 civi-

peliri, quem mox ſequuti ſunt Epiſcopi, ſingulari ſcilicet privilegio fruentes. Privati id animadvertentes horum exemplis incitabantur, ut propter martyres ſepulcra deſiderarent, qui mos gentiliſmum iterum ſapit, & exemplo *Valerii* non abſimilis videtur: *Nullo*, inquientis, *credidi loco oſſa noſtra poſſe melius adquieſcere, quam prope templum Aeſculopii. Itaque ex teſtamento ad X. pedes a templo volo condier.* Huic malo quidem, in eccleſiam irrumpenti, Imperator *Theodoſius* diligenter obſiſtebat, dum omnem humationem intra mœnia urbis interdicebat. vid. *L. 6. Cod. Theodoſ. de Sepulcro violato.* Sed pro dolor! ſaluberrimum hoc inſtitutum effectu caruit. Nam ſuperſtitio hominum, vanumque deſiderium, maiora in dies cœpit incrementa, exempla Epiſcoporum eos excitabant, clerus ſuadebat, quod tandem tractu temporis adeo crevit, ut cœmeteria adhuc hodie in terris eccleſiæ romanæ addictis, ex poteſtate civili, perinde ac templa exemta ſint, locisque religioſis adnumerata. Id etiam rebus religioſis conforme eſſe, facile eſt intelligere. vid. *Illuſtr.* DN. BOEHMERVS in *Diſſ. de Iure erigendi Cæmeterium.* & *B.* HOFFMANNI *Diſſ. de Cæmeteriis ex Urbibus tollendis.*

e) Ipſe *Conſtantivus M.* clero favebat, & civium morum ac famæ iudices epiſcopos, adpellabat. Hinc BODINVS *de Republ. Lib. VI. Cap. I. p. m. 993. Nec minus*, inquit, *laudata eſt Conſtantini ſententia, qui adcuſatorios libellos a presbyteris & epiſcopis ſe ipſos invicem adcuſantibus propoſitos, concerpi ac lacerari* (forſan dentibus, ut dicunt,) *mondavit, quum diceret, iniquum videri, ut, qui omnium* civi-

civium mores, ac famam iudicarent, aliorum ipſi ſententiis ac iudiciis caderent.

§. XII.

Ut ad rem ipſam revertamur, me non admirantem facit, etiam in pecunia luſtrica talem mutationem ſeſe exeruiſſe. Si enim attendimus morem cœnandi in primitiva eccleſia, chriſtiani coibant *f)* ad capiendum cibum promiſcuum innoxiumque. Tum vero ſolemnitas conviviorum magis magisque creſcebat, & ſucceſſu temporis ferculorum pompa adeo adaucta fuit, ut inter agapas in primitiva eccleſia celebratas, & noſtra convivia, nulla comparatio ſit inſtituenda. Hinc non aliter evenire potuit, quam quod nunc, cum omnes pleniſſima libertate gauderent, etiam actibus baptiſmatis finitis in celebratione agaparum exceſſus fieret. Dico poſt baptiſmum. Quem enim fugit, quod in primitiva eccleſia ſacro fonte ſuſcepti eo adducerentur, ubi fratres congregati erant, cum quibus agapæ celebratæ ſunt *g)*. Quin immo & quoad infantes hic mos ita invaluit, ut iis mel & lac præberentur *h)*. Hæc vero conſuetudo ſequutis temporibus abolita eſt, & agaparum loco apud baptiſmum ſplendida ac opulenta convivia obtinuerunt, unde exortum apud Germanos proverbium ſcandaloſum: das Kind vertrinken *i)*.

f) PLIN. *Lib. X. Epiſt. 97.*

g) Teſtis gravis eſt IVSTINVS MARTYR in *Apolog II. p. 97. Nos quidem*, inquit, *poſtquam illum, qui credit iam, & nobiscum facit, ita abluimus, ad fratres ut ducantur,*

tur, *eo adducimus*, *ubi congregati ſunt.* Hæc erant convivia ſacra, quæ ab ethnicis tanquam ſceleſta, infamia ac prodiga traducebantur. Hinc CAECILIVS apud MINVC. FELIC. *p. 72. ſeq. edit.* OVZEL. *Lugd. Bat. 1672.* ſceleſtiſſima hæc verba exclamare haut erubeſcit: *Plebem*, inquit, *profanæ coniurationis inſtituunt*, *quæ nocturnis congregationibus*, *& ieiuniis ſolemnibus*, *& inhumanis cibis*, *non ſacro quodam*, *ſed piaculo fœderantur.* Et paullo poſt: *Per univerſum orbem ſacraria iſta deterrima impiæ coitionis* (ſcil. Chriſtianorum cœtus) *adoleſcunt. Latebroſa & lucifuga natio*, *in publicis muta*, *in angulis garrula.* Contra vero has falſas imputationes ipſe PLINIVS *Lib. X. Epiſt. 97.* Chriſtianos defendit, videlicet, quod Chriſtiani ſacramento non in ſcelus ſeſe obſtringerent, ſed ne furta, adulteria, latrociniaque committerent. Et TERTVLLIANVS in *Apologet. cap. XXXIX.* ait: *Editur quantum eſurientes capiunt*, *bibitur*, *quantum pudicis eſt utile*, *ita ſaturantur*, *ut qui meminerint etiam per noctem ſibi adorandum Deum*, *ita fabulantur*, *ut qui ſciant Dominum audire.* conf. *Illuſt.* DN. BOEHMERI *Diſſert. ad Plin. & Tertull.* qui prolixius hac de re diſſerit.

b) SALMASIVS in *Lib.* ad IVL. PAC. de *Transſubſtant. p. 494.*

i) vid. V. C. GER. van MASTR. *Suſceptor p. m. 46.* Graviter hac de re conqueritur GVILIELMVS STVCKIVS in *Antiqu. Convival. Lib. I. cap. 16.* Mirandum eſt, quod etiam homines reperiantur, qui ob convivia baptiſmalia, baptiſmum differre ſolent, id quod maxime impium eſt. vid. de his egregie differentes HENR. MVLLER. in dem Himmliſchen Liebes-Kuß *P. I. cap. 8.* BRVNNEM. in *Iure Eccleſ. Lib. I. cap. 6.*

§. XIII.

§. XIII.

Sicut itaque ſuperius probatum eſt, ipſam conſuetudinem pecuniæ luſtricæ prius apud Iudæos receptam *k)*, etiam Chriſtiani in primitiva eccleſia retinuere, & baptizatos munuſculis ſive largitionibus exceperunt. Nam, quum parentes finitis baptiſmi ceremoniis magnifica lautaque inſtituerent convivia, aliter fieri non potuit, quam ut ſponſores liberorum parentes donis ſublevarent *l)*, quo commeſſationes maiori luxu & ſplendore abſolvi poſſent.

k) *ſ. IX.*

l) Quod improbare videtur GREGORIVS NAZIANZENVS in *Orat. XL. in S. Baptiſm.* dicens: *Turpe eſt dicere ubi eſt munus quod propter baptiſmum offeram? ubi ſplendida veſtis, in qua fulgeam? ubi ea quæ ad baptizatorum meorum exceptionem requiruntur? Ut in his quoque rebus nominis celebritatem conſequar? Valde enim uti vides hæc neceſſaria ſunt, ac præterea gratia minueretur.*

§. XIV.

Ego vero DN. THOMASIO adſtipulor, arbitranti *m)*, baptiſmi epulas ad Germanos translatos eſſe cum Chriſtianorum ſacris. Et quid mirum? quod Germani hunc morem non recuſaverint, utpote qui alioquin genio indulgent atque lauta convivia amant *n)*.

m) in *Diſſ.* de *Hypotheca tacita propter pecuniam luſtricam Cap. II. ſ. III. lit. k. p. 27.*

n) Id teſtatur auctor præſtantiſſimus CORNELIVS TA-

CITVS in *aureo libello* de *Mor.Germanor. Cap. XXII. Diem, inquit, noctemque continuare potando nulli probrum. De Pace ac bello plerumque in conviviis conſultant.* Dolendum eſt, Germanos ita potu ſeſe obruere, ut plurimi eorum, facultates ſuas nefario modo diſſipent, immo laudent magna vaſa exhaurientem. Ideo Imp. Carolus V. quum Hiſpani Germanorum intemperantiam in potationibus ferre non poſſent; *quam parum*, inquit, *Hiſpanos a furto retrahere poſſum; tam difficile eſt, malum potandi habitum a Germanis removere.* Hoc ſummo patriæ dedecori vertitur, ideoque BARCLAIVS in *Icone animorum* acriter in Germanos invehit. Sed quid mireris? compotationum vitiis & aliæ nationes contaminatæ ſunt, etiamque his ſuperbiunt. Nam Germani peccant in quantitate, alii populi in qualitate. Et mutua poculorum propinatio fuit recepta, quæ in medio ævo tantum abuſum obtinuit, ut nonnulli in *honorem ſanctorum*, & quod maxime impium, in *honorem* & *amorem Dei* & *Servatoris noſtri Ieſu Chriſti*, ſibi invicem pocula offerre non dubitaverint. Immo in quodam *Concilio Romæ habito*, Pontifici Summo *Ioanni XXII.* obiiciebatur; eum in amorem diaboli pocula evacuaſſe. vid. DV FRESNE in *Gloſſar. T.I.p.607.* Atque hæc bibendi conſuetudo per *Rec. Imp.* fuit interdicta. Sed proh dolor! nobiles, hoc Imperii mandatum ludibrio habebant, repetentes potum in *Rec. Imp.* ſanitatem, qui pravus mos, apud exteros, nonniſi dedecus & malas opiniones parit vid. *Perilluſtr. Dn. Cancell.* de LVDEWIG, Vir de patria antiquitate inſigniter meritus, in *Diurnis Hallenſ. anno 1732. n. 22. 23. 24.* Hac de re etiam valde conqueſtus eſt in *Prælect. Hiſtor. Imp.*

§. XV.

§. XV.

Quum autem hic abuſus in dies magis invaleret; neceſſaria fuit huic malo medela. Hinc contra illud in Conciliis diſpoſitiones reperimus *o)*. Iam AVGVSTINVS de hoc vitio vehementer conqueritur *p)*. Et ILL. THOMASIVS *q)* probat, quod in Germania eiusmodi convivia & compotationes baptiſmales auctoritate publica confirmata fuerint; quæ conſuetudo adeo crevit, ut diutius tolerari haut potuerit, ſed iterum legibus publicis reſtricta fuerit.

o) In *Concilio Laodicenſi Can. XXIII.*

p) in *Epiſt. XLVI* ubi ſic ſcribit: *Commeſſationes & ebrietates ita conceſſæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum martyrum non ſolum ſolemnes, quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc carnis oculis adſpicit, ſed etiam quotidie celebrentur. Sed feramus hæc in luxu & labe domeſtica, & eorum conviviorum, quæ privatis parietibus continentur; ſaltem de Sanctorum corporum ſepulcris, ſaltem de locis ſacrorum, de domubus orationum tantum dedecus arceatur.*

q) in *cit. Diſſ. de Pecunia Luſtrica.*

§. XVI.

Epulæ baptiſmales introductæ, uti diximus Chriſtianiſmo eodem etiam munera baptiſmalia in Germania. Cuius donationis tractu temporis is abuſus ortus, ut integra feuda aliaque bona dono data fuerint, unde non niſi incommoda & mala varii generis profecta ſunt, præcipue ortis concurſibus creditorum, id, quod mox erit demonſtrandum.

§. XVI.

§. XVII.

In hac vero conſuetudine luxurioſe *r)* agebatur. Dona equidem infantibus alligata ſunt, unde noſtris moribus das Eingebinde vocantur, & aliquibus in locis largitiones cunabulis imponuntur, vid. DV FRESNE. *s)* In hoc tamen peccat, putans, infanti in ſignum filiationis hæc munera fuiſſe *t)* oblata & data, ideoque ex cognatione ſpirituali originem horum munerum deducendam eſſe. Sed ortum huius munuſculi, ex alio fonte effluere, demonſtravimus *u)* ſupra.

r) Equidem RADOVIVS in *Diſſ. de Pecun. luſtr. Cap. II. ſ.* 2. & KRAVSIVS in *ead. Diſſ. ſ.* 36. putant, hanc pecuniam comprehendi ſub donationibus ad pias cauſſas. Sed ſupra adducta palpabiliter oſtendunt, quam craſſus ſit iſte error, & quam inconcinna iſta ratiocinia. Eſt pecuniæ luſtricæ pius uſus, ſi in epulas impenditur? ſi ſplendida convivia inſtituuntur? Sed ſæculum eſt, etiam depravatos mores bonis adſcribere.

s) in *Gloſſar. Tom. II. v. Filiaticum p.* 439. 440.

t) Habet GVILIELMVS STVCKIVS in *Antiquit. Convival.* duas ſingulares de his munuſculis opiniones. Audiamus eius verba: *Ex hac*, inquit, *conſuetudine manavit mos, qui hodie apud Germanos obtinet, ut nimirum eo die, quo infans ſacris aquis initiatur, munuſcula ab iis, qui illum ex ſacro fonte ſuſcipiunt, ei donentur, quæ vulgo* einbindeten *adpellantur, & puerperæ quoque ova, gallinæ, aliaque eius generis dona a vicinis mittantur* - - - . *Ut in Amphidromiis Græcorum certa quædam munuſcula ab amicis atque neceſſariis infanti atque puerperæ miſſa fuerunt, ita &*

& in circumciſione (uti poſtea dicetur) hodie adhuc a Iudæis atque Mahometanis uſurpatur, & in baptiſmo noſtro, dona quædam & infanti, & ipſi quoque puerperæ dari ſolent. Munera autem pecunialia, quæ ab iis, qui infantes ex ſacro fonte ſuſcipiunt, dari conſueverunt, quæque nos vulgo einbindeten *adpellamus, nonnulli volunt eſſe* λύτρα, *ſive pretia, quæ pro redemtione ſeu liberatione exponunt, ne eum, cui fuerunt teſtes in baptiſmo alere cogantur. Malim ego ea intetpretari: veluti arrbas ſeu pignora quædam, quibus infanti ſe obſtringunt ad officium dilectionis atque inſtitutionis ad pietatem, id, quod verbis quoque in baptiſmo pollicentur.* Sed utræque opiniones inconcinnæ ſunt, & quum ſupra meam mentem de donis baptiſmalibus ſatis ſuperque explicuerim, non eſt, ut in harum opinionum refutatione tempus impendamus.

u) §. X.

§. XVIII.

Exinde patet, qua ratione res primario tacite recepta in abuſum abeat. Quum enim tractu temporis mos invaluerit, peractis baptiſmi ceremoniis lauta convivia inſtituere, quæ magnam pecuniæ ſummam abſumebant; eam ob rem pecunia luſtrica magis magisque aucta fuit. Nam pauperes carebant ære, ideo ſponſores, ad inſtruendam menſam, iis pecuniam ſuppeditare ſolebant; ſi e contra divites erant, iis quidem ad inſtruendas epulas ſuccurrere haut neceſſe fuit: nihilo ſecius expenſas conviviorum ſuſceptores aliqua ratione reſtituere æquum eſſe arbitrabantur.

§. XIX.

Hic fortaſſe cogitabit quiſpiam quaſi una ſimul contrarias opiniones foverem, quum in antecedentibus horum munerum natales ex antiquitatibus iudaicis petendas eſſe putaverim. Sed mentem clarius aperiam. Prius ergo negari nequit, ſed hoc adiungo, quod in Chriſtianorum primævo, dona baptizatis competiverint. Quum vero, ut iam demonſtravimus, res ſerie temporis eo perducta ſit, ut parentes dapibus diverſi generis in eiusmodi actibus, uterentur, dicebant: oportet nos multum pecuniæ impendere, multi nos premunt ſumtus, quam ob cauſſam luſtricam pecuniam noſtram eſſe, non vero liberis competere, iure ſtatuimus.

§. XX.

Iam vero ſupra *v)* dictum fuit, multas leges ad tollendam hanc pravam conſuetudinem ſancitas fuiſſe, de quibus ſpecialis extat articulus in *Reform. Polit. w)*. Etiam *Concilium Colonienſe x)* convivia baptiſmalia interdixit. Nec non ſimiles prohibitiones reperiuntur in *Concilio Moguntino y) Mediolanenſi z)* quæ loca omnia heic adducere non lubet.

v) ſ. XV.

w) de *anno 1530.* von übrigen Koſten der Hochzeit, Kinder-Tauffe und Begräbniſſen.

x) anno 1549. habitum Tit. *Ubi, & quibus horis debeant baptizari parvuli*, ita diſponit: *Interdicitur, Ethnicorum more ob hoc ſacramento magna convivia inſtruere, epulari,*

&

& ebrietate, ut paſſim homines parum Chriſtiani faciunt, omnia miſcere.

y) Cap. XVI.

z) Tit. *Quæ pertinent ad baptiſmi adminiſtrationem.* Ibi præſertim de donis baptiſmalibus ita diſponitur: *Compatres & commatres nihil infantibus quos ſuſceperunt, aut eorum parentibus baptiſmi tempore largiantur.* Ipſe pontifex *Nicolaus I.* diſpoſuit: *ut patrini moderate procederent in faciendo donario filiis ſuſceptis.* conf. BRANCAT. in *Epit. Canon.* voc. *Patrinus.*

§. XXI.

Itaque hanc perverſam conſuetudinem abrogare, non ſolum Pontifices, ſed etiam proteſtantes hinc inde tollere per literas publicas conabantur. Id factum reperimus in *Aug. Elect. Sax. Art. Gener. de anno 1557.* von der Tauffe, nec non eiusdem *Ordin. Polit. P. III. p. 32.* Idem REX noſter potentiſſimus auguſtiſſimus legislator in *Ordin. Eccleſ. Duc. Magd.* diſpoſuit *a).* Et in *Ordin. Polit. b).* Hinc otioſa eſt quæſtio: num ſubſtitutus ſuſceptor, ſi obtulerit pecuniam luſtricam, id a patrino principali repetere poſſit actione mandati contraria? Nam ſi pecunia luſtrica vetita in Ordinationibus Provincialibus, tunc ſubſtitutus ſuſceptor id nulla repetere poteſt actione. Habeat ſibi quod dederit, & ita contra leges peccaverit. Nullius etiam momenti eſt problema, quod a Doctoribus in ſcenam producitur: an pecunia luſtrica, ſi eius ſumma excedat 500. ſolidos, iudici ſit inſinuanda? Quum enim lex dona baptiſmalia in totum abroget; nemo debet pecuniam luſtricam of-

ferre, immo iudex obligatus eſt ut illum, qui tale quid iudici inſinuare vult, a limine iudicii repellat.

a) Cap. III. ſ. II. Die Gaſtereyen bey den Kind-Tauffen in Stådten und auf Dörffern, werden hiemit aus gnugſam erheblichen Urſachen gäntzlich verbothen; Dahingegen auch das ſo genandte Pathen-Geld und andere bißher gewöhnliche Geſchencke gäntzlich abgeſchaffet ſeyn ſollen.

b) Nachdem wir bey denen Kind-Tauffen die Gaſtirung zumahlen bey unvermögenden geringen Leuten abgeſtellet; So ſoll dagegen auch nebſt dem Pathen-Gelde und Geſchencke aufs Bette die Gevatter-Stücken, von Marcipan und Zucker-Bildern, auch aller Confect, Kuchen und Mandel-Dorten, ingleichen die Gaſtereyen bey dem Kirch-Gange verbothen ſeyn.

§. XXII.

Ex his *b. m.* THOMASIVS *c)* acute coniicit, pecuniam luſtricam in dictis locis manifeſte conſiderari tanquam remunerationem ſumtuum baptiſmalium, ideoque illam cum epulis ſimul prohiberi. Beato Viro in eo candidiſſimum addo calculum, quod noſtra tempeſtate eiusmodi munera pro compenſandis ſumtibus exhibeantur. Id ipſum docet quotidiana experientia. Nam obſtetrices, quæ literas ſponſorias, die Gevatter-Brieffe, ſuſceptoribus tradere ſolent, communiter verbis utuntur: es würden keine Gevatter-Kuchen gebacken, id, quod ſponſores adcuratiſſime obſervant, nihilque elargiuntur, vel faſciis imponunt; ſie pflegen alsdenn nichts einzubinden. E contra ſi obſtetrices mentionem placenta-

rum

rum faciunt, daß Kuchen gebacken würden; clare conſtat, quid hæc verba ſignificent. Sapienti ſat!

c) In laudata *Diſſert. Cap. II. §. 3. lit. l. in fin.*

§. XXIII.

Si porro rem intuemur, turpe eſt auditu, ſi a plebe percipimus, quod ex obſtetricibus percontetur: an hic vel ille multum pecuniæ infanti recens nato deſtinaverit? Ob dieſer oder jener, welchen man zu Gevattern gebeten, wohl viel einbinden thäte? Quo adfirmato, eædem perſonæ ab aliis patrini eliguntur. Si vero obſtetrix non bene ſentit, & munuſcula non laudat, v. g. Titius ſey ein Knauder, und pflege nicht viel einzubinden, eiusmodi parcos munerum non requirunt, & infantuli parentum communis fere eſt cantilena: Ich hätte dieſen Mann oder dieſe Frau wohl zu Gevattern gebeten; allein ſie pflegen nicht viel einzubinden: Kuchen und Wein koſten doch gleichwohl viel Geld, und niemand giebt uns etwas umſonſt. Et eiusmodi ſermones toto die audiuntur, quæ ſtomachum movent. Ideo parentes arduum ſuſceptoris munus Chriſtianis hominibus demandatis, ut inde lucrum capiatis? Sicne curatis potius, ut infantes, quibus Deus veſtras nuptias beat, per ſacrum lavacrum Chriſto, eiusque eccleſiæ initientur. Bone Deus! qui mores ſæculi *d)*!

d) Confer ſis querelas, quas hac de re merito effudit V. C. GERARD van MASTRICHT *in Suſceptore p. m. 47. & 48.*

§. XXIV.

Quæ quum ita ſint, quæſtio exoritur: quid cauſſæ ſit, quod, quum pecunia luſtrica toties prohibita, attamen hoc malum in dies graſſetur? Si rem adcuratius animo complectimur, cauſſa in promtu eſt. Nam eadem ratio eſt, quæ vulgo, ſed male, de reformationibus veſtium, der Kleider-Ordnungen, circumfertur. Hæ etiam ubivis locorum extant, ſed vix ac ne vix quidem obtinent *e)*. Pecunia luſtrica non vocatur das Pathen-Geld, ſed hæc vel imponitur lecto, man ſchenckt etwas auf das Bette, vel alio gaudet nomine palliato, quibus probare contendimus, non eſſe contra legem commiſſum, quum tamen hoc aperte in fraudem legis fiat. Id iam ante me dixit *Illuſtr.* THOMASIVS. Poſſidet muſcula mea Collegium Mſc. quod olim B. VIR, quum adhuc in vivis eſſet, habuit. Commentatus eſt in librum, quem adpellitant: Summariſchen Entwurff der Grund-Lehren. Ibi rationi adæquatas fovet cogitationes. Quare vix mihi tempero, quin eius verba cum benevolo lectore communicem *f)*.

e) Non verba *Illuſt. ICti Lipſienſis* GOTTL. GERHARDI TITII mea faciam qui in der Probe des Deutſchen Geiſtlichen Rechts *Lib. II. Cap. II. ſ. 26.* ſic ſcribit: Damit nicht zu viel aufgehe, oder die Leute mit Gevattern ſtehen allzuſehr beſchweret werden, ſo wird dißfalls billig von hoher Obrigkeit ein Einſehen gehalten, und wegen des Gevatter-Geldes, Kind-Tauffen-Schmauſes, und andern dergleichen Unkoſten gehörige Verordnungen gemachet. vid. SCHILTER *d. l. ſ. 28. 29.* BRVNNEM. *d. l. ſ. 13.* ibique STRYK, wie-

wiewohl ſolches insgemein nach dem Exempel aller Policey-Ordnungen nicht gehalten wird.

f) Legitur ibi *P. IV. Cap. XII. ſ. 10.* Was das Pathen-Geld anlanget, ſo gehet auch dabey ein groſſer abuſus vor, welcher auch bisweilen iſt verbothen worden; Allein es kommt mir eben vor wie mit denen Kleider-Ordnungen. Denn es iſt von einem ſo viel, als von dem andern zu ſagen, und, daß es kein Pathen-Geld heiſſen ſoll, ſo ſchenckt man ſo viel aufs Bette. Hæc ille. Latius VIR. ILL. hoc argumentum etiam tractavit in den Anmerckungen zu des MELCHIOR von OSSE Teſtament *p. 96. ſeq. not. 41.*

§. XXV.

Quia vero hic mos receptus, inde apud ICtos problema exortum eſt: Ad quod peculium dona baptiſmalia ſpectent? Nam quum arbitrentur, hanc pecuniam deberi liberis; hic peculio adventitio, alter profectitio &c. adiudicaverunt, immo infantibus tacitam hypothecam in bonis parentum, propter pecuniam luſtricam concedere nonnulli contenderunt. Lubet breviter id recenſere. Quum enim hæc ab aliis magni nominis ICtis iamiam illuſtrata ſint, hic omnia repetere prolixius, ſupervacuum eſſe arbitror.

§. XXVI.

Nimirum B. BRVNNEMANNVS *g)* dona baptiſmalia ad caſtrenſe refert peculium; SIMON autem *h)* & RADOVIVS *i)* ad quaſi caſtrenſe, arbitrantes, ideo pecuniam luſtricam liberis deberi, quia occaſione militiæ ſacræ hanc, ſibi adquirant. Siculæ gerræ!

Nam

Nam nexum militiæ ſacræ cum pecunia reperire non poſſum. Verum enim vero hoc caſtrenſe peculium ſimile eſt Germanorum Schertwentzel, ad omnis generis uſum ſerviens. E contra B STRYKIVS *k)*, de BERGER *l)*, BEYERVS *m)*, KRAVSIVS *n)* adnumerant illam peculio adventitio irregulari. Sed etiam hæc ſententia nititur præſumtis opinionibus, nullaque lege eſt terminata.

g) in *Comment. ad L. I. ff. de Collat.*

h) in *Diſſ. de Patrinis Cap. V. ſ. 5. hab. Jen. a. 1672.*

i) in *Diſſ. de Pecunia Luſtrica Cap. IV. ſ. 9. hab. Roſtoch. an. 1676.*

k) in *notis* ad PRVNNEM. *Ius Eccleſ.* ad verb. *adquiruntur baptizandis p. m. 248. 49.*

l) in *Oecon. Iur. Lib. II. Tit. II. ſ. 33.*

m) in *Poſit. ad Inſtit. Lib. II. Tit. IX. poſ. 26.*

n) in *Diſſ. de Pecunia luſtrica ſ. 22.*

§. XXVII.

CARPZOVIVS *o)*, MEVIVS *p)* dona baptiſmalia ad peculium aduentitium ordinarium pertinere defendunt. LAVTERBACHIVS autem, *q)* LVDOVICI *r)* & FLEISCHERVS *s)* pecuniam luſtricam ad peculium profectitium referunt. Et hæc opinio etiam rationi conformis eſſe videtur. Non enim porrigitur pecunia luſtrica infantis ergo, man giebt es nicht des Kindes gelben Haare halber, ſed potius intuitu parentum, licet etiam illis adſentiri non poſſim. Qui priores ſententias fovent, liberis, ratione pecuniæ luſtri-

luſtricæ, in bonis parentum tacitam hypothecam attribuunt. Ego vero B. THOMASIO calculum addo *t)*, qui adſerit: nullam cum peculiis *u)* adfinitatem habere dona baptiſmalia, etiamque liberis tacitam, in bonis parentum hypothecam plane denegat, quæ opinio cum prædictis convenit optime. Parentes enim expenſarum cauſſa recipiunt luſtricam pecuniam, ut iis aliquo modo, auxilium feratur.

o) Lib. II. Def. Conſiſt. 272. & *P. II. Conſt. XXIV. def. 18.*

p) P. IX. Dec. 63. add. TITIVM in der Probe des geiſtlichen Rechts *Lib. III. Cap. II. §. 23. ſeqq.*

q) in *Compend. Iur.* Tit. *de Pecul.*

r) in *Doctrin. Pandect.* Tit. *de Peculio.*

s) in *Iure Eccleſ. Lib. II. Cap. III. §. 38.*

t) in *cit. Diſſ.* SLEVOGTIVS quidem in der gründlichen Unterſuchung von denen Rechten der Altäre, Tauff-Steine &c. *Sect. II. p. 329.* ſequitur CARPZOVIVM, BRVNNEMANNVM, MEVIVM, BERGERVM, & ſic argumentatur:

Quicquid ſpectat ad peculia, liberis competit.
Pecunia luſtrica ſpectat ad peculia;
Ergo liberis competit.

At maior nimis generalis eſt, quia ſervi etiam peculia habebant. Minor vero in totum negatur, licet SLEVOGTIVS ſententiam ſuam auctoritate Doctorum firmam reddere conatur. Sed eorum auctoritas hic nulla eſt, & ut B. BEYER *in N. A. I. Cent. II. n. 5.* ſcribit habentur pro civiliter mortuis. Nam ubi lex non diſponit, ibi Doctorum non eſt diſponere. Nulla autem lex dona baptiſmalia ad peculia refert, ergo minime id facere nobis permiſſum eſt.

§. XXIIX.

Rem ita ſeſe habere, omni dubio caret. Sæpiſſime enim audimus, quod ex hominum ore fluat quæſtio ſcandaloſa impiaque: quid hic vel ille alias infantibus deſtinaverit? wie viel wohl Titius ſonſt einzubinden pflege? iuxta quæ adſerta, es pflege derſelbe ein reich Pathen-Geld einzubinden, deflectunt parentes ſuas cogitationes, ſeque accommodant. Immo, cognitum mihi eſt exemplum, quod parens prolis, piſtori, ob placentas, pecuniam luſtricam, nondum acceptam, ſolutionis loco promiſerit, quia ipſi deerant facultates. Hinc piſtor finem actus baptiſmatis atque convivii expectare debebat, quo tunc etiam accepit munuſculum baptiſmale, das Eingebinde, quod tamen nondum ſufficiebat.

§. XXIX.

Iam mihi fingere nequeo, quis rebus ſic ſe habentibus moliatur liberis pecuniam luſtricam attribuere, immo tacitam, ratione horum munerum, hypothecam adiudicare. Hoc præclare oſtendit B. THOMASIVS *u)*, adſerens: Fundamentum huius hypothecæ tacitæ nihil aliud eſſe, quam miſericordiam erga liberos, nec caſum contigiſſe, quo pronunciatum fuit, niſi moto creditorum concurſu. Noti ſunt mihi homines, qui munuſcula baptiſmalia ſuorum liberorum ceu κειμήλια adſervant, illisque adultis illa tradunt. Sed quis diceret: parentes id neceſſario facere debent? Parentes id faciunt ex amore erga liberos, licet etiam non inficias iverim, quod hic mos adſervandi pecuniam luſtricam liberis, ſæpiſſime ſecum habeat ſuperſtitionem, quod dicere piaculum eſt.

Digitized by Google

eſt. Non mihi temperare poſſum; quin mentionem iniicerem, de nonnullorum hominum proverbio: Dem Kinde ſchwären die Nägel ab, ſeine Pathen haben weder gerne Gevatter geſtanden, noch das Pathen-Geld gegeben. Quæ! qualis! quanta! Eſt hoc valde ridiculum & nonniſi delirantibus dignum. Sed tamen tales ſermones quotidie in ore hominum ex infima plebe circumferuntur, quæ nobis bilem movent.

u) in *cit. Diſſert. Cap. II. ſ. 6. litt. bb.*

§. XXX.

Sed quorſum? In viam e diverticulo? Inſiſtendum donis baptiſmalibus. Ex hactenus dictis luculenter adparet, hæc, quæ de luſtricis nummis palam adſeruntur, ſine legis auctoritate, & quidem a Iuſtitiæ ſacerdotibus per uſualem, ut vocant, interpretationem, ad peculiorum genera referri *v).* Sed quæſo! conſtituit hæc ius ſi rationi contrariatur? Unicum quod opponi ſolet, & ad quod munerum baptiſmalium *Cauſidici*, tanquam ad ſacrum Palladium confugiunt, eſt, quod provocent ad nonnullas Provinciarum ordinationes, ubi tacita luſtricorum munuſculorum hypotheca, liberis, in parentum bonis, tot legibus ac conſtitutionibus eſt confirmata firmaque reddita. Ad manum habemus talem ſanctionem in *Ordinatione Proceſſ. Magdeb. w)* Verum enim vero B. THOMASIVS docuit, hanc hypothecam ex miſericordia principis erga liberos introductam eſſe, quorum parentes, diſperſo patrimonio, triſtem ſentiunt fortunarum exitum, ut aliqua ſaltem ratione liberis ſubveniatur.

 v) vid.

v) vid. LYNCKER *Dec. 701.* de BERGER in *Electis Diſcept. forenſ. Tom. I. p. 1498. n. 5.* BEYER in *Poſit. ad Tit. in quib. cauſſ. pign. tac. contr. lit. f.*

w) *Cap. XLIX. §. 54.* ubi diſponitur: Ingleichen haben ſolch Recht auch die Kinder wegen ihres Mutter-Guths, Pathen-Geldes und anderer bonorum adventitiorum.

§. XXXI.

Quum autem res ita comparata ſit, exinde patet, quod utique in Duc. Magdeb. liberi, ratione horum munerum, tacita in parentum bonis gaudeant hypotheca. Sed ſupereſt ζήτημα diiudicandum: an cit. Conſt. noſtro tempore adhuc in uſu ſit? Id fidenter negat B. THOMASIVS *x)*, cuius ſententiæ & nos ſubſcribimus. Quamvis enim liberis, ratione luſtricæ pecuniæ, tacita competat hypotheca; hæc tamen lex, contrariis conſtitutionibus omnino tollitur. Quum enim legislator in *Ordin. Eccleſ. y)* hoc in totum removerit, & in *Ord. Regim. Polit. Hallenſ. z)* ſimiliter abrogaverit, prout etiam in *Reſcripto ad Senatum Hallenſem de dato 17. Octobr. an. 1688.* nec non in *Monitis Ampliſſimi Senatus* &c. *anno 1695. §. 3.* ſimiliter cautum; tacita ideo hypotheca locum non amplius habet. Nam lex poſterior lata, derogat priori. Iam vero hæ conſtitiones, quæ liberis tacitam, in bonis parentum tribuunt hypothecam, excepta *Ordin. Eccleſ.* omnes recentiores ſunt diſpoſitione *Ordin. Proceſſ.* Hinc fluit prono alveo conſequens neceſſarium: priorem conſtitutionem a poſteriori in totum eſſe abrogatam.

x) in *cit. Diſſert. Cap. III. §. 2. lit. g. p. 66.*

y) *Cap. III. §. 2.* conf. *Ordin. Polit. Cap. XL. §. 4.*

z) *Art. XVII.*

§. XXXII.

§. XXXII.

Hic autem ſummopere me admirantem facit, quod his ſalutiferis conſtitutionibus, huic abuſui occurri haut potuerit. Equidem ſupra cum B. THOMASIO adſerui, fieri ideo, quia ſub palliato nomine datur donum. Sed adderem, hanc potiſſimum primariam eſſe cauſſam, quod non ubivis locorum ſaluberrimæ leges, rite recteque exequentur. Mallem itaque duo producere media, quibus hoc malum e medio tolli poſſit: Nam arbitor, legem eſſe ferendam, qui doceret, cui proprie pecunia luſtrica competeret, ſive liberis, ſive parentibus, nam id dependet a legislatorum arbitrio. Si vero id non fieret, optimum fore putem, ſi antea dictæ Conſtitutiones ubique melius cuſtodirentur, & advocatus Fiſci conſtitueretur, qui tam parentes liberorum, pecuniam luſtricam accipientes, notabili nummorum ſumma mulctaret. Sic enim tali reprobatæ conſuetudini facilius obſiſtere poſſet. Plures, ſuſceptorum munus, officium Chriſtiano nomine dignum, lubenti animo ſuſciperent; modo modeſtias pecuniæ luſtricæ ſentire haut deberent. Et novi virum, qui in ſponſorem electus, infantis parentibus in Charta ſignificavit; quatenus in exhibendis munuſculis baptiſmalibus ſe gerere oporteat contumacem, ob gravem abuſum. Et hic profecto ſapienter egit. Hoc enim munere fungimur ideo, ut infantem Chriſto eiusque eccleſiæ initiare, nobis curæ cordique ſit, teſtesque baptizati ſimus, non vero nummorum largitores.

§. XXXIII.

Coronidis loco, adhuc differendum eſt de pravo impioque more, quo nonnulli hominum malevolo-

rum, lucri cauſſa liberos ſæpius baptizari faciunt. Talem caſum prodidit memoriæ CARPZOVIVS *a) Accidit*, inquit, *talis caſus anno 1597. ubi femina infantem quædam ter baptizari fecerat, eo tantummodo fine, quo pecuniam & munera, quæ vulgo teſtes baptiſmi, ceu teſſeram fidei datæ, baptizato offerre ſolent, idiomate noſtro* das Pathen-Geld, *lucraretur, quod delictum tanto atrocius fuit, quanto maiori blasphemia ſacroſanctum baptismatis ſacramentum fuerat reiteratum. Ergo feminæ iſtæ fuſtigatio cum perpetua relegatione a Scabinis Lipſienſibus dictata fuit.* Mox *num. 44.* ſententiam addit: Dieweil aus denen überſandten Schrifften zu befinden, daß die Gefangene ihr Kind in dreyen unterſchiedlichen Kirchen und Orten wiſſentlich, allein um des Pathen-Geldes willen tauffen laſſen, ſie ſolches auch ſelbſten bekannt und geſtanden; ſo wird ſie von wegen ſolches vorſetzlichen Mißbrauchs der H. Tauffe mit Staupen-Schlägen des Landes ewig billig verwieſen. Hæc ille. Iudæi id etiam ſæpe feciſſe, multa exempla ſunt ob oculos. Ex ore parentis mei grandævi ſenis talem accepi caſum. Retulit ille mihi, quod ante quinquaginta, & quod excurrit annos, Iudæus quidam in hac civitate; in *ædibus S. Mariæ virginis* ſacro lavacro ablutus fuerit. Accidiſſe autem, ut duo aurigæ Saltz-Kärner, hanc urbem intrarent, & quum viderent, forum hominibus repletum, qui templum intrare actuque baptiſmatis intereſſe, properabant, quæſiviſſe: quid ſibi congregatio hominum? Reſponſum; baptizatum iri Iudæum? Intrant ſacras ædes, & non ſine ſtupore atque horrore vident, Iudæum mox ſacro fonte tingendum, eundem eſſe, qui iam ſemel alio loco baptizatus. Rem denunciant. Iudæus ex tem-

plo

plo a lictoribus abducitur, in vincula coniicitur. Quumque magiſtratus inſtituta inquiſitione de hoc crimine certior eſſet factus, acta transmiſit ad ICtorum Collegium, quod iudæo fuſtigationem cum perpetua relegatione dictavit. Fuſtigatum, dicebat pater, ſemper ſacroſanctum Ieſu Chriſti nomen invocaſſe. Similem caſum reſponderunt ICti Francof. quem retulit Cel. I. G. HOFFMANNUS in *Selectis ad uſum fori ſpectantibus obſervat. Diſſ. III.* reſpondente V. C. I. O. BEQVIGNOLLE amico meo integerrimo *obſ. 32. pag. 65.* *Cingari*, id etiam faciunt. Ideo in Saxonia haut tolerantur *b)*. Alias etiam Conſtitutiones retulit *Lib. Baro* de LYNCKER *c)*. Optimum igitur conſilium foret, ut munuſcula baptiſmalia ſevere prohiberentur, & tunc horridi eiusmodi eventus facile ceſſarent. Quæ de pecuniæ luſtricæ abuſu tradimus, etiam dici poſſunt de donis nuptialibus, ubi ſimilis abuſus irrepſit, de quibus prolixius agerem, ſi meum inſtitutum id poſceret.

a) in *Pract. Crim. Qu. 93. n. 43. & 44.*
b) vid. *Art. gen. Tit. VI.*
c) in *Diſſ. de Baptiſmo. Cap. IV. ſ. 3. hab. Ien. 1685.*

S. D. G. I. Æ.

ERRATA.

Præf. lin. 13. *prælegebam* leg. *perlegebam.* lin. 15. *complecti* leg. *amplecti.* p. 1. lin. 13. *opera* leg. *opere.* p. 4. lin. 16. *circumlatus* leg. *circumlatas.*

Digitized by Google